


Ch. 25918

X 2049311

Z c  
43

**CASPARIS ZIEGLERI**  
**IN OBITUM**  
**ADAMI CHRISTO.**  
**PHORI JACOBI,**  
**JCTI CLARISS.**  
**CONSIL. ELECT. SAX.**  
**THRENUS.**





Vanta & viduæ, & libetis u-  
triusq; sexûs haud paucis, &  
toti deniq; laudatissimæ fa-  
miliæ per amissionem capitis sui , & la-  
crymarum & squaloris nata sit colluvi-  
es, nemo qvisqvam est, qui non intelli-  
gat, qvive inter suos simile qvid, in modo  
qvantum vis impari, non sit expertus. E-  
go nunc meam ago causam, & qvid aliis  
contigerit, seorsim atq; in sacrario inti-  
mo consideratus, publicè ea, qvæ me-  
um torquent & flectunt animum , ge-  
mens nunc ac moerens, totusq; mihi  
displicens & qvasi extra me describo  
**Nec tamen si non describerem, non con-**  
sta.

staret unicuiq;; magnum mihi Amicum  
in hac mortalitate per obitum JACOBI  
mei periisse. Ex qvo innotuit alter alteri  
primùm, dexter as mox junximus, & Sol-  
diorum lege vivere nos velle spo-  
pondimus invicem, animiq; inter se no-  
stri occultâ qvâdam vi veluti sideris ali-  
cujus cognati conspirarunt. Ego admi-  
ratione qvâdam virtutis, qvam ille de se  
ostendebat, ille vicissim opinione qvâ-  
dam, qvam de meis moribus concepe-  
rat, me dilexit, sanctoq; hoc amicitiae  
glutine coaluimus invicem, ad invidiam  
usque induvuli. Eramus uterq; morum  
antiquorum, qvibus honestas omnium  
maximè promovetur, cum contentio-  
ne aliquâ studiosi, & blandiebamur no-

) ( 2      bis



bis, in hâc simplicitate nostrâ nos qvan-  
doq; aliquid esse videri, & nostras qvo-  
qvesententias subinde rogari. Nec po-  
terat tamen semper & ubique æqualis  
utriusqve esse fortuna. Ego enim scholæ  
addictus præcipuam operâ in enodan-  
dis juris civilis laqveis ponebam & eâ fi-  
ni in angustum locum, qvem cathedra  
occupat, conferre me oportuit; ille ve-  
rò vastissimum spaciū in omni pro-  
vinciâ nactus aditum sic præbuit omni-  
bus, ut non solum de jure civili ad eum,  
verùm etiam de filiâ collocandâ, de fun-  
do emendo, de agro colendo, de testa-  
mento ordinando, de omni denique aut  
officio aut negocio, etiam à summis Vi-  
ris referretur. Nec quisquam tamen in-  
ter

sid

2 ) (

ter nos alteri succensuit unquam, aut in-  
vidiae stimulos in se concitari passus fuit,  
sed doluimus invicem saepe numero, ille,  
me propter corporis infirmitatem quasi  
in vinculis detineri, quandoque etiam  
effrenatae hominum procacium petu-  
lantiæ expositum esse: ego, eum ita labo-  
ribus obrui, ut viveret ad aliorum ple-  
rumque arbitrium, raro, nec nisi ex per-  
missione, ad suum. Nec in rebus tamen  
agendis ita disjuncti fuimus ab invicem,  
ut non identidem alter alterius senten-  
tiam exquireret, si quid in ancipiti ratio-  
num diversarum circumstantiarum dubium  
fuisset obortum. Oppidò jucundum mi-  
hi fuit in illius sinum effundere ea, quae a-  
nimum disjecerunt saepiusculè & in di-

) ( 3

ver-

versa distractarunt. Ille mihi verè sacra  
fuit anchora, ad quam confugere solitus  
fui, quoties exulceratam mentem in tur-  
bido oportuit versari, & ille mihi semper  
maximum solatum, atque jucundissi-  
mum lenimentum præbuit, nec denega-  
vit, si quid amplius ab eo expectandum  
fuisset. Nec verò dubitavi ego unquam,  
quoniam ille, quippe aliquot annis minor, mi-  
hi superstes esset futurus, cui propterea  
curam rerum mearum post obitum com-  
mittere, animo destinavi. Nunc verò  
spes omnis, quantam in præsidiis huma-  
nis ponere mihi licuit, uno quasi mo-  
mento collapsa est. Certè nec senectus,  
nec morbus illum nobis ademit, sed ca-  
sus infelix, non tam quidem illi, quam  
stu-

studiis , qvàm religioni , qvàm patriæ,  
qvàm Ecclesiæ. Tanta erat ejus pietas,  
tanta in consiliis prudentia , tanta in ju-  
vandis omnibus benignitas. Nunc illa  
cœlestis anima pro bonâ semente , qvam  
hîc fecit , messem apud Christum opimā  
metit. Ego verò semianimis hîc hæreo,  
adeò per obitum illius consternatus , ut  
vix erigi per qvaliacunq; etiam maximè  
intricata avocamenta qveam. Commo-  
ri juvabit , modo per Christi misericor-  
diam illic liceat ei convivere. Et qvid e-  
nim aliud mihi nunc restat , nisi ut per a-  
cerbisimos corporis cruciatûs , qvos  
qvitidiè intensiores in me sentio , defi-  
ciam tandem & animam exhale in hoc  
corporis ergastulo miserè prorsus &  
cum

cum indignatione habitantem ? Qvod  
si per hanc viam salus mihi æterna para-  
ta fuerit, age, mi JESU, auge dolores,  
sed auge etiam patientiam, qvam nisi tu  
dederis ipse , perditum omnino erit,  
qvod à me proficisci poterit , robur.  
Doce me per ipsa vulnera tua , gravio-  
res longè fuisse cruciatùs , qvos pro me  
sustinuisti. Et sic enim facilius pauco-  
rum dierum , qvi vitæ meæ supersunt ,  
molestiam devorabo , magisqve tūm e-  
lucescet gaudii istius immensitas , qvod  
ab innumerabilibus seculis nec mutari pote-  
rit unqvm , nec ullo modo corrumpi. Inte-  
rim beatissima JACOBI mei anima fruere  
istâ tuâ felicitate , qvâ gaudes , & Ziegleri cui  
animam , qvandocunqve DEI misericor-  
dia eam evocaverit , ad Te reversu-  
ram expecta.

kom

Ok. 25018

**CASPARIS ZIE  
IN OBITU  
ADAMI CHI  
PHORI JAC  
JCTI GLAR  
CONSIL. ELEC  
THRENU**

